



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De theoderico & Bernardo monachis, qui ob visionem vnius veniae in
sepultura mortui, conceperunt conuersionem, cap. 21.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

zare dignaretur conuersionem, cuius in seculo periculosa esse considerauit habitationem: nouerat pueros à suo proposito facile posse auerti, Attendens pius Dominus, pium monachi circa germanum studium, cordi Abbatis immisit, vt puerum suscipere, quem infra annos, sine officij sui periculo, suscipere non potuit. Ea nocte qua habitum induit, quidam ex sacerdotibus huiusmodi visionem de illo vidit, Videbatur ei quòd matrona pulcherrima ante ostiũ monasterij staret, & puerum pulchrum in brachijs teneret, a quo interrogata cuius esset puer ille, respondit: Filius illius monachi est, fratrem eius nomine designans, simulque nomen nouitij intrantis exprimens: & sicut ipse intellexit, qui hanc visionem vidit, ipsa matrona pulcherrima, beata Dei genitrix fuit. Secundum Apostolum; Qui alium verbo vel exemplo ad bene viuendum informat, hunc profectò tanquam proprium filium Christo generat. Quod autem eundem nouitium venerabilis virgo Maria ad ostium monasterij, quasi mater filium, dignata est presentare, dedit patenter intelligere, eius conuersionem predictum monachum suis orationibus per eius magna merita obtinuisse. APOLLONIVS: Satis ex his cognosco virtutem orationis, superest vt cognoscam & virtutem, quæ est in exemplo religionis. CÆSARIVS: Hoc scias, quia multi quotidie sine exhortatione sermonis, nullis specialibus adiuti orationibus, per sola exempla religionis ad ordinem trahuntur, & per quadam signa deuotionis, disciplinæ, vel sanctitatis, quæ vident, conuertuntur.

1. Cor. 4.
 & ad
 Philem.

CAPVT XXI.

FRATER Theodoricus monachus noster, cum adhuc adolescens esset in seculo, sacerdotè quendam cognatum suum iam nouitium visitare venisset; sed non vt conuerteretur venit. Contigit interim fratrem mortuum sepeliri, quo sepulto, cum conuentus dicta Antiphona, Clementissime Domine, circa sepulchrum hinc inde cum multa humilitate, veniam peteret, diceretq;: Domine miserere super peccatore;

B 3

ita

ita est compunctus, ita ad conuersionem est accensus, ut qui prius a Domino Geuardo Abbate admonitus, conuerti noluerat, ab illa hora ut susciperetur, vix multis precibus obtineret. Talem modum suae conuersionis sapius mihi recitauit tempore suae probationis. Recitauit mihi & frater Bernardus monachus noster in Vilario monasterio, ad visionem similis veniae primùm voluntatem conuertendi se concepisse. APOLLONIVS: Miror quòd res tam modica tam magnum salutem operatur in anima. CAESARIUS: Quid de hoc miraris? Quantum ad massam, multum modica est pillula, sed quantum ad efficaciam, virtus illius est maxima; omnes corporis venas percurrit, humores soluit & ejicit, infirmum ad sanitatem conuertit. Si tanta virtus consistit in perceptione vnus corporalis pillulae, quare mirari debes maiorem esse, & ideo maiorem, quia spiritualem, in visione vnus veniae? Audi & aliud.

CAPVT XXII.

NOBILIS adolescens dominus Adolphus, nunc Episcopus Osnaburgensis, canonicus fuerat maioris ecclesiae in Colonia; hic cum tempore quodam ad Campum, domum ordinis nostrum venisset, & post missam ad orationem in oratorio staret, vidit quomodo monachi, tam senes quam iuuenes, ad vniuersa currentes altaria, ad disciplinas suscipiendas nudabant dorsa sua, humiliter confitentes peccata sua: quae visio, sicut mihi quidam eius familiaris narrauit, tantum boni operata est in corde adolescentis, ut abire non posset, sed seculi pompam contemnens, & totum se ad Deum conuertens, ibidem manens, sacrum religionis habitum susciperet: in quo tantum profecit, ut non multo tempore post, tum propter nobilitatem tum propter religiositatem, in praedicta ecclesia apicem conscenderet episcopalem.

CAPVT XXIII.

NOSTRI Henricum camerarium nostrum, huius conuersio talis fuit: Cum esset clericus, & maioris ecclesiae in Treueri canonicus, atque multis alijs